

que la retrata en un Tracto corto, pero puro, eloquente y dulce de Versos Latinos un insigne Poëta Mexicano (\*), que acabó de escribir en Italia, y cuyos inimitables rasgos, que le dictaron de acuerdo la eloquencia de su raro numen poético, y el abrasado amor á Maria Santisima de Guadalupe, ha parecido oportuno trasladar aquí.

Cum

(\*) El P. Diego Josef Abad, Religioso que fue de la Compañía de Jesus, nació en primero de Junio de 1727 en un pequeño Pueblo del Obispado de Mechoacan de la Nueva España. Compuso unas Paësias Heroicas Latinas, que intituló: *Jacobi Josephi Labbe Selenopolitanus de Deo, Deoque Homine Heroica*, que hizo reimprimir en Ferrara en 1775. Poësias excellentes, dignas verdaderamente de su divino Objeto, y Poëta, que con admiracion de los siglos, y no sin una noble envidia de las demás Naciones, hará un honor inmortal á Espana, y será las dulces delicias de los Poëtas Catolicos. El Tracto que se cita lo trae dicho Poëta en el Canto 38, que intituló: *Religio Victoria*; desde el verso 611, hasta el 630 de la i<sup>a</sup> presion hecha en Ferrara, año de 1775.

CUM Fide adorandum, & magna tibi Mexice signum  
Exhibitum, lapsa & meliora ancilia  
cœlo:  
Præsidium æternum tibi tutamque  
futura.  
Namque Dei coram adstante, & sic  
Matre jubente;  
Saxoso sterilique solo medioque De-  
cembri  
Erupere rosæ. Quas asperiore, ru-  
diique  
Palliolo implicitas, simul atque An-  
crines  
(Infula cui sacros umbrabat pendula  
crines)  
Indigena explicuit (mirum!) ecce  
impressa repente  
Palliolo est, qualem vix fingere pos-  
set Apelles  
Ali-

Aligero innixa , & sruosæ cornua  
 Lunæ  
 Calcans , & circum radiati lumine  
 Solio ,  
 Et stellis vestita Dei Genitrix Ima-  
 go :  
 Illius omnino ad normam , spe-  
 ciemque , sereno  
 Cœlo tranquillus quam *Pathmo* vi-  
 derat exul :  
 Qua neque amabilius quidquam est ,  
 neque pulchrius Orbe .  
 ; Ut memini ! ; Ut videor , te nunc  
 quoque , Virgo , videre !  
 Quod fas , hoc facio . Memor hinc ,  
 & cernuus , ad te  
 Quæ sola ire queunt , pulcherrima  
 florea Virgo ,  
 Crebra , & itura quidem citius sus-  
 piria mitto .

SANC-

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS ,  
 & Domini nostri Domini Benedicti Di-  
 vina Providentia Papæ XIV. Apostolicæ  
 literæ in forma Brevis in quibus Offi-  
 cium , & Missa propria B. V. Mariæ , sub  
 titulo de Guadalupe , die xii. Decembris ,  
 sub ritu dupli primæ classis cum Octa-  
 va , recitandum , & celebranda conce-  
 duntur : eademque Beatissima Dei Ge-  
 nitrix in Primariam Novæ Hispaniæ Pa-  
 tronam rite adlecta declaratur : & ejus-  
 dem Templum Mexicanum una cum  
 Congregatione inibi in honorem ejus-  
 dem B. Virginis sub eodem titulo erecta ,  
 vel erigenda colestium munerum the-  
 sauris , de benignitate Apostolica  
 largissime ditatur .

### BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Non est equidem , quod Nos in hoc*

A

ip-

ipso potissimum Apostolicæ omnium Ecclesiæ solicitudinibus & procurationis gravissimo ministerio imbecilitati nostre à Supremo Pastorum Principe Jesu Christo, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, imposito rite sancteque obeundo ferre defessos magis reficere & recreare videatur, quam cum opportune sese Nobis offerunt occasiones per quas Pontificia beatitudinis auctoritatisque partes adhiberi a Nobis petitur, ut filialis omnium Christifidelium erga Sanctissimam Virginem MARIAM Immaculatam cultus & veneratio in Regionibus presentim ab Europa nostra longissime dissitis magis magisque forveatur atque adaugeatur. Oblatus siquidem Nobis nuper fuit supplex libellus tenoris sequentis:

VIX Beatissime Pater.

In illa Americae parte, quæ Nova Hispania nuncupatur, eximia viget in

cor-

corde Fidelium tenera devotio erga Beatisimam Virginem, quæ jure merito de illis populis potest asserere: *Et radicari in populo honorificato.* Simul cum Fide & Evangelicæ prædicationis lumine ingeressa est erga Salvatoris nostri Matrem filialis reverentia & amor: ubique Imagines Beatissimæ Virginis tam in ipsa Nova Hispania elaboratae, quam ex Europa translatæ ad exemplar earum, quæ alibi celebrantur, in Templis, Sacellis, aliquæ locis sacris conservantur, & a popularum frequentia, & pietate variis obsequiis coluntur. Monstrant se esse filios tam Hispani, quam Indi, & Clementissima Dei Genitrix monstrat se esse Matrem, innumerisque gratis & prodigiis tam spiritualibus, quam temporalibus Fidelium necessitatibus peramanter subvenit. At inter præcipuos favores, quos huic Regioni concessit, illud celebratissimum est, quod coram Episcopo Mexicano mirabiliter depicta apparuerit, &

A 2

ad

ad hunc usque diem in celeberrimo Sanctuario dicto de Guadalupe præsens sit omnium auxilium, & refugium. Brevem facti notitiam constanti traditione, & Auctorum testimonio suffultam hic compendiose subjungimus.

Decenio post subjugatum Christo Domino Imperium Mexicanum, Sabbatho quinto Idus Decembris pius e plebe Neophytus Joannes Didacus nomine, e vicino oppidulo suo Mexicum ad S. Francisci ædes Sacris assistendi, audiendæque Cathechesis adibat desiderio. Cum e parvi montis Mexico tria milia-ria dissiti radicibus, quæ iter est, cœlestis harmonia Joannis oculos evocat in montis cacumen. In eo videt Iri circumcinctam Cœli Reginam, a qua vocatus, benignissimeque acceptus jubetur Episcopum (qui postmodum primus Archiepiscopus Mexicanus fuit renuntiatus) Venerabilem Joannem de Sumarraga Minoritam adire, Templumque ibidem loci

suo

<sup>5</sup> suo sibi nomine postulare, quod professo-to totius hujus Orbis foret asylum. Auditæ Episcopus legatione, metuens ne quid doli subasset, multa sciscitatus a Legato, eum in præsentius tempus dimisit, quasi rem maturius consulturus. Redit Joannes ad Virginem in eodem mon-tis cacumine illum expectantem, respon-soque Episcopi exposito, suam causatus vilitatem, precatusque ut mitteret, cui major fides adhiberetur, jussus bono animo esse, jubetur iterum altera die Episcopum adire, secundòque Templum postulare.

Ad iteratam Episcopus legationem suspensus animi, mitius ac pridie Legatum alloquitur, aitque illi se libentissime paritum, accepto alio clariore si-gno Virginæ voluntatis. Recipit Joannes petitum & abiit. Mittit Episcopus e suis familiaribus duos, qui aliquanto a longe Joannem sedulo obseruant, quo cum loquatur in monte. At ubi ad hu-jus

ius pervenit radices , ex eorum oculis evanuit , ut ab eis toto monte diligenter quæsitus , inventus non sit . Dum reduces apud Episcopum Magia Neophy-  
tum criminantur , Beatissima Virgo re-  
sponsum , petitionemque Episcopi co-  
gnoscit ex Joanne , signumque sequenti  
se die , feria scilicet secunda , daturam  
pollicetur . Ea Joannes ad Virginem redire non potuit , invento domi Joanne  
Bernardino patruo suo posito in extremis .  
Neque feria tertia redisset , Sacerdotem  
acciturus , qui patruo suo Ecclesiæ Sa-  
cramenta ministraret moribundo . Ne igi-  
tur a Deipara detineretur , si , quæ alias  
iter faceret , opposita pergit via , Sacer-  
dotem vocaturus ; sed frustra . Nam oc-  
currens illac Piissima Virgo solatur illum ,  
securumque reddit de patrui salute , quam  
illi tunc apparens concesserat , jubet illum  
montem subire , floresque legere Episco-  
po ferendos insignum .

Ergo collectos flores virginis ipsa

De-

7  
Deipara manibus vili componit in rici-  
no , id est in opum pallium Indorum ,  
præcipite , uti ad Episcopum ferat , nul-  
lique ostendat in via . Ricinum per vim ex-  
plicare conantes Episcopi familiares , nul-  
lum tamen florem tenere potuerunt , mo-  
do veros putantes , arte modo phrygia  
elaboratos . Ut coram Episcopo Joannes  
pallium expandit , veris , bellissimis , re-  
centique rore madidis floribus decidenti-  
bus , in eodem ricino non modo supra ,  
verum & contra omnia picturae præcepta ,  
apparuit , quam veneramur Beatissimæ  
Virginis Imago Guadalupana , parvo suf-  
fulta Cherub , regio diadematè insignis ,  
manicata , & infra talos promissa tunica ,  
partim candidi , partim coloris punicæ :  
ad hæc exigua cruce in collo depicta ,  
junctisque ad pectus manibus , vultu In-  
dæ puellæ placidissimo , leniterque deje-  
ctis oculis , adeò illi , quæ in Apocaly-  
psi describitur quam simillima , ut & sol  
centum & duodecim radiis picturæ to-  
tam

tam oram ambiat, & luna sub pedibus ejus aspiciatur, nisi quod pro duodecim, quibus illa coronatur stellis, sex supra quadranginta in cœruleum hujus peplum dispersæ numerentur. In ea nihil non mirum: pictura e floribus media hieme e solo summe sterili, & spinarum solum feraci collectis: in linteo adeo levidensi, ut a tergo velut per transennam Templum videntibus facile pateat; quin post duo secula Nitrum vicini lacus, quod argentum, aurum, & æs eredit, summam ejus pulchritudinem, vividissimosque colores, vel levissime violaverit.

In loco a Virgine Deipara designato, factō olim parvo Sacello, Indus, & ejus patruus obsequio Beatissimæ Virginis addicti persisterunt usque ad mortem, donec crescente populorum devotione erectum est Templum, quo deinde aliud multo magnificentius fuit extructum, in quo expensa fuerunt 475 millia ponderum argenteorum, quæ totidem scuta

RQ,

Romana fere conficiunt, præter supellecilem & ornatum; omissis enim aures artefactis, & reliqua supellecile, res ex solo argento confectæ sex mille libras Italicas, seu novem mille se libras Hispanas (vulgo marcos) circiter adæquant, Tabernaculum, in quo collocatur Imago, septuaginta septem millia ponderum constat. Nec mirum est, quod in dies creverit devotio, cum præter miracula, quæ in tota nova Hispania contigisse narrantur, ipsum Capitulum Mexicanum attestetur, posse sperari auxilium præsens, & liberationem ab epidemia (ut de facto evenit anno 1727) intercessione Beatissimæ Virginis, quia id experta fuerat Civitas Mexicana jam anno 1696 & 1697 quo conversus populus ad B. Virginem ab immensa mortalitate liberatus est. Quod idem expertus fuit contra periculosam aquarum inundationem anni 1665 & 1666, sed præcipue anno 1629. Addit præterea

B

Ca-

Capitulum Metropolitanum Mexicanum constantem , & indubiam traditionem esse , quod cum prius possessi & obseSSI in magna copia illas Regiones infestarent , & simulachra idolorum ope dæmonis loquerentur , post Sanctissimæ Imaginis apparitionem nulla hujusmodi mala eveniunt , quod & Indi & Hispani huic Sanctissimæ Imagini acceptum referunt . Unde ipse Rex Catholicus specialem protectionem hujus Sanctuarii sibi assumpsit , & ad augendum cultum Beatissimæ Virginis insignem Collegiatam inibi erexit , Matriisque sub sua protectione accepit Congregationem sub eodem titulo erectam . Neque solum illa Diocesis Mexicana , sed tota illa pars Americæ , quæ nova Hispania nuncupatur , insigni erga hoc Sanctuarium devotione afficitur .

Inter alia pietatis officia illud præcipuum fuit , quod cum anno 1737 per illam Regionem pestis grassaretur , stabilitatam Gubernium Sæculare , quam

Capitulum in Diœcesibus Novæ Hispaniæ eligere in specialem & principalem Patronam B. Virginem sub hoc titulo de Guadalupe , quod per secreta suffragia factum est , & dies de præcepto ab Archiepiscopo Mexicano fuit indicta , & religiose observatur , remanente ( ut exprimitur in Literis Pastoralibus ) recursu ad Sedem Apostolicam pro Officio , & Misa cum Octava . Et omnia facta videntur juxta ea , quæ Sanctitas Vestra præscripta in celebratissimo Opere de Servorum Dei Beatificatione &c. tom. iv. part. 2. cap. 15. Quod vero attinet ad publicationem de præcepto , ait Sanctitas Vestra eodem cap. 15. num. 12. *Potest Episcopus de consensu Cleri & Populi instituere Festum de precepto.*

His ita constitutis P. Joaines Francisco Lopez , Societatis Jesu , Procurator Provinciæ Mexicanæ , in libro ad hunc effectum edito , omnia documenta collecta habet , eu[n]que cum aliis etiam libris

editis, qui de hoc arguento pertractant, Sanctitati Vestrae humillime offert, doletque non reperiri authentica documenta a testibus de visu, quæ olim extitisse compertum est, adeo enim Archivum defectuosum est, ut neque ipsius primi Episcopi subscriptio aliqua in eo reperiatur: imo cum inveniat hujus miraculi veritatem jam in hac Curia fuisse propositam, nullum ex documentis tunc adductis modo reperire potest; ex constanti tamen & inconcussa traditione, & veritate fertus ex iis documentis, quæ modo collegit, nomine præsertim Archiepiscopi, totius Cleri Mexicanæ, Episcopi, & Capituli Vallisoletani, cœterorumque Antistitutum Novæ Hispaniæ pietate erga Deiparām, & desiderio promovendi ejus cultum, & Patronæ Principalis prærogativas ferventium, ut ex iisdem Literis ad Sanctitatem Vestram datis patet, in actu præsentandi Sanctitati Vestrae exemplum in omnibus simile, & ante ipsam

Sa-

Sacram Imaginem (quod valde singulare est) delineatum, & justis mensuris expressum, rogat humiliter Sanctitatem Vestram sequentes gratias.

Ut dignetur principalis Patronæ titulum confirmare, approbando Officium proprium & Missam, quæ ita sunt ordinata, ut ad Sanctuarium nostrum unice spectare videantur, addita in fine sextæ Lectionis brevi notitia Apparitionis Sacrae Imaginis, & Electionis ejusdem in Patronam Novæ Hispaniæ.

Ut dignetur Indulgentiam Plenariam duodecim vicibus in anno concedere visitantibus celeberrimum Sanctuarium in diebus ab Archiepiscopo Mexicano designandis, in aliis duodecim anni diebus similiter ab Ordinario designandis septem annos & totidem quadragenas, & centum dies Indulgenciarum quotidianarum visitantibus Altare Beatissimæ Virginis.

Ut dignetur iterum approbare & confirmare Altare Privilegium perpetuum

14

a Sanctitate Vestrâ eidem Ecclesiae jam concessum.

Ut Confraternitati utriusque sexus Christifidelium in dicta Ecclesia sive jam erecta, sive erigenda dignetur concedere aliquas Indulgencias, & gratias spirituales.

Ut Ecclesiae ejusdem Beatæ Mariæ Virginis sitæ in vertice Montis de Guadalupe impetriri dignetur Indulgenciam Plenariam in diebus Apparitionis, & Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

Quæ omnes Indulgencias applicari valent per modum suffragii defunctis Fidelibus. Quod &c.

Of-

15

Officium vero & Missa hujusmodi sunt tenoris sequentis,

Mexican. sive Regni Novæ Hispaniæ

Die 12. Decembris. id est

OFFICIIUM IN FESTO B. M. VIRGINIS

Nuncupat. de Guadalupe.

Duplex prima Classis cum Octava.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiph. Dum esset Rex &c.

Psalm. 109. Dixit Dominus.

Antiph. Læva ejus.

Psalm. 112. Laudate Pueri.

Antiph. Nigra sum.

Psalm. 121. Lætatus sum.

Antiph. Jam Hiems transiit.

Psalm. 126. Nisi Dominus.

Antiph. Speciosa facta es.

Psalm. 147. Lauda Hierusalem.

Capitulum = Ab initio = Hymnus =

Ave Maris &c.

v.